# The Electronic Manipulus florum
# www.manipulusflorum.com

## Presumptio t
### cum uariis

Rex Medorum Artexes Grecis bellum indixit cui familiarium unus dicebat: Grecos aduentum nuncii belli non expectaturos sed ad primam aduentus famam terga uersuros. Alius dicebat: Greciam non uinci sed obrui mole exercitus. Alius: Timendum esse ne urbes uacuas et desertas inuenirent; non habiturum regem ubi tantas uires exercere possit. Alius dicebat: Vix illi naturam rerum sufficere; angusta esse classibus maria, militibus castra, explicandis copiis equestribus campestria, celum uix patere sagittis. Dum in hunc modum regem nimia existimacione sui furentem confutarent. Dixit Demaratus: Multitudo ista que tibi placet, tibi metuenda est. Verum est enim per magna nunquam posse regi, nec diu durare potest quod regi non potest. Nichil tam magnum quod perire non possit. Sic contingit ut dixit Demaratus. Nam ut fugax animal pauido regressu regnum suum repetere est coactus. Multi enim ignorauerunt uires suas et dum credunt se tam magnos sicut audiunt, attraxere superuacua bella et in discrimen peruentura.

Valerius Maximus libro I.

________

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P $V^1$ $V^2$ $L^1$ $L^2$):

Presumptio t] Presumptio s $V^2$ $L^1$ $L^2$; Medorum Artexes] Indorum Xerses P $V^1$ $V^2$ $L^1$ $L^2$; indixit] induxit $V^1$ $V^2$ $L^1$; et] uel C P $V^1$ $V^2$ $L^1$ $L^2$; nimia existimacione] exstimatione nimia P, estimatione nimia $V^1$ $V^2$ $L^1$ $L^2$; confutarent] confuscarent P $V^1$ $V^2$ $L^1$ $L^2$; Demaratus] Damaxatus P $V^1$ $V^2$ $L^1$ $L^2$; est *om.* P $V^1$ $V^2$ $L^1$ $L^2$; regi] quod *add.* (*del. sub lin.*) B; non *om.* M; contingit] contigit C P $V^1$ $V^2$ $L^1$; Demaratus] Damaxatus P $V^1$ $V^2$ $L^1$ $L^2$; ignorauerunt] ignorant P $V^1$ $V^2$ $L^1$ $L^2$